

603

17. 13. Ex Zwingliana discessione à Confessione Augustana: in qua certum est affirmari corpus & sanguinē Christi ad substantiam S. cœnæ pertinere, & verè esse presentia, & cum pane & vino manducari & bibi. Noluerunt enim hanc ipsam ob causam Zwingliani Augustana Confessione subscribere; ac proinde sunt in ea improbati; & peculiarem ipsi Confessionem obtulerunt, quæ tamen recepta non fuit. Neq; in Colloquio Possiaceno Beza & socii recipere voluerunt Augustanam Confessionem: cui etiam in hūc usq; diem subscribere Helvetii recusant. Non commemorabo jam, quibus Emblematis confessionem hanc Calvinus ipse & discipuli, honestissimis, scilicet, illis, exornarint.

18. 14. Ac ne pluribus sit opus argumentis, ipsos audiamus loquentes. Zvinglius (contra confessionem Lutheri) asserit, in cœna nihil esse, præter panem & vinum, & si quis dicat corpus Christi per essentiam & realiter, hoc est, corpus ipsum naturale in cœna aut adesse, aut ore dentibusq; manducari, errorem illum vocat, qui verbo Dei adversetur. Calvinus (defensione secunda, & in Harmonia) affirmat, ore nostro præter signum nihil accipi: neq; Christum in terris, aut sub terrenis elementis quærendum esse. Beza signum & signatum dicit longissimis locorum intervallis dissita esse, part. 1. R. ad Colloq. Mompelg. p. 34. & 75. & veram carnem Christi presentiam nunc in cœlis, & non alibi sitam esse, pag. 44. adeoq; tanto à nobis intervallo, quanto beatorum illæ sedes supra omnes cœlos à terris absunt. pag. 75. Epistola 5. Volum. 3. Theolog. p. 204. & in responsione ad argumenta Brentii p. 27. Calvinus in Catechismo de sacramentis; Embdenses, Marpurgensis Anatomia, & alii. Iohannes Piscator in 3. volum. disput. pag. 458. & 459. disertè asserit, se non concedere aliquam corporis Christi cum pane presentiam: neq; referre quicquam, ait, si ve adsit Christi corpus, ut in prima cœna, si ve absit, ut post ascensionem in cœlos. Summa, remonent Calviniani corpus Christi. 1. A Symbolo sacramenti. 2. Ab Actione sacramentali. 3. ab ipsis communicantibus. 4. ab ipsa cœna. Vide Petrū
Max-